



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 49. Concilium Parisiense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

*mum ultra tertiam vicem visitare præsu-* Sæcul. XV.  
*mant, de quo non sciant, quod in illa ægri-* A.C. 1429.  
*tudine pœnitentiæ sacramentum suscepit.*

Denique innovata est Bulla Clementina contra Judæos, ac Saracenos.

Legatus, valetudine sua semper in pe-  
jus declinante, ac insuper pestilentia Der-  
tusæ ingravescente, sub finem anni quas-  
dam beneficiorum provisiones expedivit,  
Et pace inter Episcopum, & cives armis  
etiam inter se collisos Orgelii composita,  
necnon absoluta tam gloriose Legatione  
sua Concilium dissolvit, & omnibus ibi  
præsentibus Indulgentias plenarias, atque  
omnium suorum peccatorum veniam in  
articulo mortis concessit.

### §. XLIX.

#### *Concilium Parisiense.*

Hoc anno Joannes de Nanton Seno-  
nensium Archiepiscopus Lutetiæ Pa-  
risiorum apud Cistercienses aliud Conci-  
lium congregavit, cui omnes Provinciæ  
Episcopi interfuerant, id ipsum etiam caufsa  
erat, quod a nonnullis Senonensis appelle-  
laretur Synodus. Ex Prælatis aderant  
Carnutensis, Parisiensis, Meldensis, &  
Trecensis Episcopi, ac Antissiodorensis, &  
Nivernensis Episcoporum Procuratores,  
Aurelianensis Præfus absentiæ suæ excu-  
sationem interposuit. Confluxerunt quo-

Labb. Conc.  
to. 12. p. 292.

O o 3 que

Sæcul. XV. que plures Abbates, Conventuum Priorum  
 A.C. 1429. res, Viri Ecclesiastici tam sacerdotes, quam  
 Regulares, Doctores, & quædam Universitatis Parisiensis membra. Hi die pri-  
 ma Martii in unum congregati condiderunt quadraginta articulos de obligatio-  
 nibus & moribus Ecclesiasticorum, Mo-  
 nachorum, & Canonicorum Regularium,  
 de celebratione Diei Dominicæ, & dis-  
 pensatione in denuntiationibus Matrimo-  
 nio præmittendis.

## §. L.

*Statuta seu Constitutiones hujus  
 Synodi.*

*Ibid. p. 393.* Et primo quidem hæc Synodus omnibus  
 tam Cathedralium quam Collegiarum  
 quarumcunque Ecclesiarum Clericis & Mi-  
 nistris præcipit, sub pena privationis sua-  
 rum distributionum, vel alia arbitrio supe-  
 riorum infligenda, quatenus amodo divinum  
 servitium tractim, atque devote, & horis  
 congruentibus dicant, & decantent, & in  
 psalmorum decantatione pausas faciant in  
 medio versuum, ne pars chori psallitura alium  
 versum incipiat, antequam ab alia parte sit  
 omnino aliis versus finitus.

Secundo & tertio statuitur, ut caveant  
 Clerici a locutionibus, derisionibus, & gar-  
 rulationibus in Ecclesiis, quod si moniti, ab-  
 stinere minime voluerint, unius diei sunt eo-  
 ipso